DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DEBILITATE VERA ET SPVRIA

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

ERNESTO ANTONIO NICOLAI

MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORE

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS AC ISENACENSIS SERENISSIMI PRINCIPIS SONDERSHVSA-SCHWARTZBVRGICI SERENISSIMORVM PRINCIPVM DE SOLMS-BRAVNFELS CONSILIARIO AVLICO HORVMQVE ARCHIATRO COMITE PALATINO CAESAREO PROFESSORE MEDICINAE PRIMARIO FACVLTATIS MEDICAE SENIORE AC ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM ET SOCIETATIS REGIAE BORVSSICAE FRANCOFVRTENSIS VIADRINAE ASSESSORE ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET SOCIETATIS ACADEMICAE PRINCIPALIS HASSIACAE SODALI SOCIETATVMQVE LATINAE DVCALIS IENENSIS ET MARCHICO-BADENSIS TEVTONICAEQVE IENENSIS SVBLIMIORVM SCIENTIARVM SODALI HONORARIO.

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. XIX. OCTOBRIS. cIↃIↃCCLXXXX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES SIGISMVNDVS MILZ

SALZVNGA-MEININGENSIS.

IENAE, TYPIS GOEPFERDTII.

§. I.

Virium corporis humani ſcrutinium et aequam aeſtimationem medico maxime eſſe neceſſaria, nemo facile vocabit in dubium. Sive enim praeſentem ſanitatem ſive eandem labefactatam conſideremus, ſine viribus nihil unquam proficiet neque praeſentem ſanitatem conſervare neque morbos curare poterit. Quemadmodum natura humana vitae et ſanitatis ſui corporis conſervationi perpetuo ſtudet, morbos contra et mortem averſatur, ita quoque ſuis eſt inſtructa viribus, quibus illis neceſſaria procuret et ſe ab his tueatur. Ea enim eſt corporis in vigore ſanitatis conſtituti ratio, vt non fere infinitarum et multifariarum actionum ſeriem

edat, ſed etiam iniurias externas et internas ei damnum, quin interitum minitantes arceat, repellat, minuat, deleat. Perfecta itaque ſanitatis notio non virium ſolum omnium agentium, corpori humano inſitarum praeſentiam, ſed id etiam requirit, vt juſtum earum in actione conſtitutarum robur adſit, et hoc tunc obtinet, quando non ſolum non deficiunt, ſed eo modo et gradu agunt, vt actiones tantae ſint, quantae ad effectus, quos producere debent, requiruntur. Sanitas ergo ſine virium robore non poteſt conſiſtere integra; hoc quippe labefactato non poteſt non illa quoque labefactari, et quem praeterit, vitam, ſine qua ſanitas exiſtere non poteſt, eo maiori eſſe in periculo, quo minores et quo minus firmae ſunt vires, quia ſine his vita conſiſtere nequit? Quum igitur virium robur ad tuendam ſanitatem abſolute ſit neceſſarium, vtique ſanum corpus robuſtum eſſe debet. Quando autem corpus humanum a robuſto deflectit, nuncupatur debile. Debilitas ergo corporis humani ea eſt huius conditio, qua vires eius, quando agunt, a iuſto recedunt robore. Haec debilitas vel ſufficit actionibus noſtris exercendis, ita vt ſanitas manifeſto non laedatur, vel non. Illam nomino naturalem, hanc morboſam debilitatem. Dantur enim homines ſani ſecundum naturam debiles. Non de naturali, ſed de morboſa debilitate mihi in ſequentibus erit ſermo, et iſtam, qua vires re vera

de-

deficiunt, nomino veram, eam autem, qua vires vere non desunt, sed decenter agere non possunt ob nimiam quandam resistentiam, spuriam debilitatem.

§. II.

Ad justum virium in actione constitutarum robur requiritur tam decens robur solidorum physicum, quod a decente partium ea constituentium cohaesione dependet, quam istud, quod a justa neruorum actione proficiscitur et nonnulli vim vitalem, robur vitale appellant, ego vero, ne confusioni et errori dem occasionem, vim nerveam nominabo, et justa fluidorum, praecipue massae sanguineae, quantitas et qualitas. Quum igitur vera debilitas sit robori opposita §. I., sequitur, hanc modo a cohaesionis, modo a nervorum vitio originem trahere, Duplex igitur oritur debilitatis genus, alterum ex cohaesione solidorum laesa, alterum ex neruorum mala adfectione nascitur. Cohaesio solidorum triplici duntaxat modo potest laedi. Aut tollitur cohaesio aut non et tunc est nimis vel aucta vel imminuta. Primum dicitur solutio continui, vnitas soluta, secundum rigiditas, tertium nimia laxitas vocatur. Solutionem continui solidorum tollere penitus vires a cohaesione sola pen-

dentes ideoque esse verae debilitatis causam, non est, quod multis probem. Nimia solidorum laxitas imminuit vires a cohaesione pendentes eamque ob rem etiam est verae debilitatis causa. Rigiditas solidorum partim minuit vires, etiam irritabilitatem et sensibilitatem, partim impedit, quo minus sufficienter agant, id quod videmus in vasis rigidis, et hinc etiam est verae debilitatis causa. Omnia igitur solidorum vitia simplicia debilitatem veram producunt, Haud quaquam hic disputabo de neruorum actione, quocunque modo ea explicetur, id mihi perinde est, satis mihi est, hic annotasse, istam imminutam vel abolitam etiam veram debilitatem inducere, id quod videmus in apoplexia et paralysi correptis. Imminuta vel penitus sublata neruorum actio ponit alia neruorum vitia vt caussas, nimiam laxitatem, rigiditatem, continui solutionem, compressionem, Constat enim experientia, neruis compressis vel discissis sensum et motum perire et rigida ac laxa subiecta minori sensibilitatis et irritabilitatis gradu esse praedita.

§. III.

Ad caussas verae debilitatis pertinet quoque euacuatio fluidorum profusa. Euacuatio fluidorum

rum tunc eſt profuſa, quando ſtatum ſanitatis nimium excedit. Fluida, quae euacuantur, ſunt admodum diuerſi generis, inutilia et noxia vel vtilia et ad vires conſervandas neceſſaria, vt ſanguis bonus, fluidum nerueum, lac, chylus, humores ſeroſi et lymphatici bene conſtituti. Omnium quidem fluidorum, etiam inutilium et noxiorum, praeter naturam valde auctae euacuationes debilitant, potiſſimum vero bonorum, vtilium et ad vires conſervandas neceſſariorum, vt boni ſanguinis, ſeminis, fluidi neruei, humorum ſeroſorum et lymphaticorum bene conſtitutorum. Nimiae ſanguinis, praeſertim boni, jacturae, per quascunque vias et quocunque modo factae, immoderata ſeminis profuſio, nimia fluidi nervei diſſipatio, lactis excretio nutricis viribus maior, immoderatae bonorum lymphaticorum et ſeroſorum excretiones quantopere non proſternunt hominum vires et quantam iis non inferunt debilitatem? Humorum vitioſorum, inutilium et noxiorum excretiones modum excedentes homines non videntur debilitare, quia vitiatos inutiles et noxios humores ex corpore eorum expellunt, et eatenus, quatenus hoc faciunt, non nocent, cum vero modum excedunt, non poteſt fieri, quin ſimul bonos vtiles et ad vires conſeruandas neceſſarios humores magna expellant copia et

hoc

hoc modo debilitent et noceant, id quod fluor albus, gonorrhoea, ſudores vomitus omnesque alui et vrinae fluxus modum gradu et duratione excedentes luculenter oſtendunt. Iſtam vero veram debilitatem, quae oritur a profuſa fluidorum excretione, eo eſſe maiorem, quo maior eſt fluidorum excretorum copia praeſtantia et vtilitas, ac quo maiori celeritate et impetu, et quo frequentius iſta contingit euacuatio, quis eſt, qui non perſpiciat? Pone inſignes humorum euacuationes praegreſſas et defectum vniuerſalis maſſae humorum, et ſimul ponere debes inſignem debilitatem vt effectum, motum ſanguinis progreſſivum languidum et paruum, omnes actiones ſecretiones et excretiones debiles et parvas. Adde,eiusmodi defectum humorum ſemper coniungi cum fluidi nervei inopia eiusque ſecretione languente, quam languere oportet languente circulatione, ſiquidem ſecretiones vniuerſalem ſanguinis circulationem ſequuntur, et ſolum fluidi nervei defectum maximam inducere debilitatem, etiam tunc, ſi vniuerſalis maſſae humorum defectum adeſſe non ſtatuas.

§. IV.

Inter cauſas debilitatis verae principem obtinet locum putredo, quae provario ſuo gradu robur ſolido-

lidorum corporis humani maxime labefactat, quin penitus tollit, de quo nemo dubitabit, qui putredinis mutationes in solidis corporis humani factas, quibus illa in liquamen aliquod molle conuerti constat, et insignem virium prostrationem, quam morbi putridi inducunt, considerat. In fibris putredine pro vario eius gradu cohaesio magis minusue, quin penitus tollitur, et in fibris, quae vasa componunt, effluxui humorum via paratur et resistentia ac robur solidorum imminuitur, quid? quod penitus tollitur.

§. V.

Perlustratis verae debilitatis causis ordo me nunc ducit ad spuriae debilitatis causas considerandas, ad quas potissimum plethora seu polyaemia vera pertinet. Nullius certe vtilitatis essent vires corporis humani, nisi agerent et agendo effectus producerent. Nunc spuria debilitas est ista, qua vires re vera non desunt, sed decenter agere non possunt ob nimiam quandam resistentiam §. I. Quam cum det polyaemia vera magna, manifestum est, eam esse spuriae debilitatis causam. Nam fac, vires non deficere, sed massam tantum sanguinis sanitatis modum nimium excedere, fieri non potest, quin san-

guinis maſſa nimis aucta viribus cordis et arteriarum maiorum nimis reſiſtat et impediat, quo minus cor et arteriae ſufficienti vi ſe contrahere et ſanguinem per vaſa, praeſertim minima, propellere poſſint, hinc motus ſanguinis progreſſivus per vaſa omnesque actiones ſecretiones et excretiones langueſcunt et retardantur, pulſus valde ſuppreſſus et tardus, admodum parvus et languidus, inſignis laſſitudo et debilitas, maximus ad motus torpor et ſenſus gravitatis oritur. Inde fit, vt pulſus, ſanguine adhuc ex vena fluente vel non adeo multo poſt, prius manifeſtam debilitatem prae ſe ferens, ſuppreſſus et tardus ante, euadat nunc liber, euolutus, celerior, maior ac vehementior.

§. VI.

Pone, praeſente virium robore maſſam ſanguineam calore rare fieri et in juſto maius expandi volumen, quod polyaemia ſpuria, apparens, ad vaſa nominatur et ſaepiſſime in febribus contingere animadvertitur, tunc hoc volumen ſanguinis nimis auctum aeque ac vera polyaemia §. V. cordis arteriarumque maiorum viribus nimis reſiſtit, et aeque ac haec, producere debet debilitatem ſpuriam

§. I. Globuli ſanguinis juſto magis expanſi minus reſpondent orificiis vaſorum minimorum, quae intrare et permeare debent, hinc viribus cordis et arteriarum ſanguinem per vaſa minima pellentibus maiorem exhibent reſiſtentiam, ob quam motus ſanguinis non poteſt non fieri juſto tardior et minor. En! alteram debilitatis ſpuriae cauſam.

§. VII.

Sanguis inflammatoria peccans ſpiſſitudine minus facile per extremas arteriarum anguſtias permeare poteſt cordisque et arteriarum maiorum viribus, quamvis non ſint infirmae, nimis reſiſtit eamque ob cauſam motus ſanguinis per vaſa, praeſertim minima, progreſſivus non poteſt non retardari et imminui et laſſitudo et debilitas ſpuria oriri §. I.

§. VIII.

Memorata ſanguinis vitia §. V. VI. VII. debilitatem ſpuriam inducunt non hoc ſolum, quem §. V. VI. VII. expoſui modo, ſed etiam ſanguinis per vaſa minima motum impediendo. Simulac enim ſanguinis per noſtra vaſa minima motus ex quacunque cauſa imminuitur vel retardatur, nos imbecilles enervesque perſen-

tiſcimus, procul dubio, quia libero et expedito per vaſa muſculorum minima motu impedito hi decenter agere nequeunt, quod ſemper laſſitudinem et debilitatem producit. Accedit, quod motu ſanguinis per vaſa minima cerebri aliarumque partium impedito, haec vaſa a ſanguine, qui minus libere et expedite transire poteſt, aliquantum expandantur et expanſa cerebri ſubſtantiam medullarem aliarumque partium nervos proxime adjacentes paululum premant et fluidi nervei motum retardent, quo actio muſculorum impeditur et debilitas producitur. Deinde ſanguis motu eius per extremos arteriarum fines impedito in arteriis maioribus accumulabitur et harum non ſolum ſed cordis etiam vi juſto maiorem idat reſiſtentiam, quo minus decenter agere poſſint, quamvis non careant viribus, vnde debilitas naſcitur ſpuria §. I.

§. IX.

Reſtat adhuc alia et mira debilitatis ſpuriae ſpecies, cauſam a prioribus diuerſiſſimam agnoſcens, nempe ſordes in primis viis haerentes, vt bilis aut alia ſaburra. Quemadmodum hae ſordes ibidem haerentes encephalo varia inferunt ſymptomata, vt vigilias, cephalalgiam, vertiginem, deliria et cetera,

ita

ita interdum vires adeo prosternunt, vt summam malignitatem vel aliam grauissimam causam suspicari posses, nisi certiora signa primas vias huius mali sedem demonstrarent. Quomodo vero haec agat debilitatis causa, id explicare non audeo, sufficiat mihi, eam hic adduxisse vt rem experientia constantem et multorum auctorum testimonio confirmatam, et attigisse, in ea explicanda potissimum consensus primarum viarum cum reliquis corporis humani partibus esse habendam rationem.

§. X.

Aer quoque putridis effluviis scatens, vaporum ex aegrotis et adstantibus exhalantium vel aliorum heterogeneorum plenus, non renovatus, nimis calidus summam inducere potest debilitatem. Aer nimis aestuans nimis calorem corporis humani internum auget nimiamque sanguinis exaestuationem et expansionem, debilitatis spuriae causam §. VI. et aer putridus putredinem humorum excitando veram debilitatem §. IV. producit. Vermes quoque et passio hysterica sub variis formis varia mentiuntur et inter haec etiam veram debilitatem.

§. XI.

Vera debilitas pro diverſitate cauſae, a qua oritur, variam poſtulat medendi methodum. Iſta enim, quae a profuſa fluidorum evacuatione proficiſcitur, non niſi imminutione excretionum auctarum et fluidorum perditorum reſtitutione tolli poteſt; quae qua ratione perfici debeant, ex therapia petendum. Quae a putredine proficiſcitur, requirit ad curationem remedia putredini reſiſtentia, inter quae eminent acida vegetabilia, et, ſi haec non ſufficiant, mineralia, cortex chinae, camphora et radix arnicae. Debilitati verae a nimia laxitate oriundae omnia iſta, quae hanc tollunt, et ei, quae a rigiditate proficiſcitur, remedia humectantia emollientia et relaxantia medentur. Quae a ſordibus in ventriculo haerentibus naſcitur, debilitas ſolum exigit emeticum, quo ſaburra ex ventriculo excuſſa non raro morbus vel illico tollitur vel imminuitur omnisque curatio redditur facilior. Aer durante debilitatis curatione debet eſſe purus et vbi laxitas vel putredo adeſt, non calidus, ſed potius frigidus, eo tamen gradu, quem aeger perferre poteſt.

§. XII.

Debilitas ſpuria orta a cauſis §. V. — IX. enarratis demonſtratisque cauſis ſtatim indicat medico, quid

quid ſit agendum. Si enim oritur a polyaemia nimia §. V. venae ſectio ſufficiens, eaque toties, quoties neceſſe eſt, pro rerum circumſtantium et ſymptomatum ratione iterata vnicum et optimum erit remedium, quod vires oppreſſas erigit, quoniam reſiſtentiam nimiam cordis arteriarumque viribus oppoſitam tollit.

§. XIII.

Videas itaque, quam ob cauſam celeberrimi medici venae ſectionem praedicarint remedium roborans, analepticum, cardiacum. Dici non poteſt, eam vires augere vel reſtaurare, imminuit maſſae ſanguineae quantitatem nimiam et reſiſtentiam, quam dat viribus cordis et arteriarum et qua impedit, quo minus decenter agere queant. In omnibus iſtis caſibus, in quibus debilitas a defectu maſſae ſanguineae proficiscitur, venae ſectio magnam perniciem, quin ipſam mortem inferret, quia vires jam proſtratas penitus proſterneret mortemque accelerarct.

§. XIV.

Illa debilitas ſpuria, quae ab expanſione maſſae ſanguineae a calore ſeu rarefactione nimia oritur; requirit vſum remediorum temperantium refrigerantium nitroſorum et acidorum potulentorum, et, ſi haec non ſufficiant, venae ſectionis.

§. XV

§. XVI.

Nihil perniciosius est, quam in febribus cum auctis magna virium prostratione coniunctis, quas malignas appellare solent, ad vires erigendas calefacientia, sudorifera, bezoardica, alexipharmaca, stimulantia, praeparata ex Dispensatoriis petita, a venerabili antiquitate artificiose, mire simplicibus sexcentis composita exagitantia remedia in auxilium vocare, fornacem incendere, aegros puluinaribus sepelire et aestu torquere. Si calor est nimius et ab hoc debilitas spuria inducitur, non ille solum, sed haec etiam non possunt memoratis remediis augeri; si vero calor non est vehemens, hic augetur vsque adeo, vt vel debilitatem iam praesentem augeat vel putredinem excitet vel jam praesentem putredinem valde augeat, sudor extorquetur, producuntur exanthemata, petechiae aut miliaria. Nunc de vi morbi est triumphatum, hostis expulsus, quem naturae jam dudum insidias struere et interitum minari maxima et certissima erat suspicio. En! effectum adhibitae medendi methodi et datorum remediorum. Si tunc aegri fatis cedunt, non medicus eiusque medendi methodus, sed natura morbi vi oppressa accusatur. Fatum quam maxime dolendum! Magna igitur sunt illustris de Haen de re medica merita, qui in suis posteritati relictis monumentis va-

rias

rias et maximas noxas ex ante descripta febribus acutis medendi ratione in genus humanum redundantes egregie demonstravit.

§. XVII.

Debilitas ista spuria, quae a spissitudine sanguinis inflammatoria nascitur §. V., exposcit methodum medendi antiphlogisticam, ideoque remedia calorem nimium temperantia, refrigerantia, humores spissos sine calore resolventia et attenuantia et acria involventia, solida stricta relaxantia, cum humoribus animalibus facile miscibilia nec tam cito per vias urinarias abeuntia, cuius generis sunt decocta cerealia mucilaginosa, acida, nitrosa, parca quidem, sed repetita dosi ad mensuras viginti quatuor horarum spatio ingesta. Haec plus valent et proficiunt in febribus acutis, quam soli isti pulveres, parum vel nihil efficaces et solubiles aut mixturae spirituosae stimulantes et calefacientes.

THESES.

I. *Veſicatoria non in omnibus thoracis eiusque contentorum ſed tantummodo in rheumaticis inflammationibus conducunt.*

II. *Opii vſus in morbis venereis multum ad curationem confert.*

III. *Febris puerperarum non eſt febris ſui generis.*

IV. *Aer liber ac purus curationem rachitidis valde promouet.*

V. *In atrophia infantum reſolventia ad curationem ſunt pernece ſſaria.*

VI. *Facies rubra non ſemper eſt ſignum ſanitatis.*

VII. *Pelientia in partu difficili non ſunt adhibenda.*

VIII. *Contractio vteri grauidi fibris muſcularibus potius, quam arteriis, tribuenda eſt.*